

ad calidum vergens. Si verò adsit Intemperies calida vel febris, ad humidum & frigidum declinet, vitetur aer æstuosus, calidus, aultrino flatu turbatus, item nebulosus & crassus.

LVI.

Cibus in calido morbo, sit qui humectare & refrigerare, modicèq; humores extenuare possit. In obstructione verò à crassis & lentis frigidisq; humoribus, potius aliquantum ad calidum vergat. In utroq; casu sit qui facile concoqui solet & laudabiles succos gignat. Ut *panis* ex puro frumento probè subactus & rectè fermentatus, *Caro* sit gallinarum & pullorum eandem, avicularum montanarum, turdorum, perdicum. Ex *piscibus* sint pisces petrosi, quorum caro est fragilis, pura & tenuis. Cibi condiantur succo limon. arantiorum, Endiviâ, cichorio, feniculo & alijs incidendi & attenuandi, urinam movendi, roburq; Epatis addendi vim habentibus. Alimenta succum crassum & lentum gignentia choleramq; multiplicantia, nimium calida, aromatica, salsa & dulcia vitentur. *Potus* sit vinum album tenue, non vetustum, & dilutum aquâ graminis, petrosel. asparagi, ptisanæ, aut aliorum aperientium; aut cerevisia tenuis, defœcata & pura. In omnibus autem modus observetur ne vel obstructio vel cruditas, ex nimia plenitudine nascatur. *Vinum in vase formato ex ligno Fraxini s. Tamaricis retentum aliquantulum bibi tum convenire Ictericis creditur, et vim inde suscipere obstructiones referendi. Conuenit cerevisia Brunsvicensis minima.*

LVII. *Exercitium*

Ictericis sit mediocre. Hyeme utatur balneo, item frictionibus modicis, somno utatur moderato; Excreta & feces alvi Indies justo modo profluant, sin minus excitandæ sunt vel cibus vim leniendi habentibus vel laxativis, item suppositorijs & Clysteribus.

LIX.

Animi deniq; perturbata moderatiora sint, vitentur Spiritus inflammantia & animum perturbantia sunt ut: animi mœores, curæ; & imprimis ira tanquam lethale venenum fugienda, utpote quæ efficit ut effervescat bilis & extra feratur. Adhibeantur ea, quæ animum oblectare & exhilarare possunt, svavisq; colloquijs agri demulceantur.

Et